

# Veritas vos liberabit

Festschrift zum 65. Geburtstag  
von Günter Assenmacher

SONDERDRUCK

Matthias Pulte | Thomas A. Weitz (Hg.)



Ferdinand Schöningh

# INHALTSVERZEICHNIS

Vorwort.....	13
Grußworte.....	17

## BIBLISCH-THEOLOGISCHE PERSPEKTIVEN

AXEL HAMMES

Seelenheil durch Kirchengzucht?

Das Ausschlussverfahren gegen einen πόρνος und seine Begründung  
nach 1 Kor 5,1-13 ..... 31

THOMAS MARSCHLER

„Das ist das ewige Leben...“ (Joh 17,3).

Eine biblische Kurzformel des Glaubens und Leitwort priesterlicher  
Existenz..... 53

MANFRED MELZER

“Josef, ihr Mann, der gerecht war...” (Mt 1,19)

Gottes Heilswille als Korrektiv menschlicher Rechtsvollzüge..... 71

## HISTORISCH-THEOLOGISCHE PERSPEKTIVEN

MARC-AEILKO ARIS

Albertus Magnus und die Revolution ..... 91

HEINZ FINGER

Die „Historische Wahrheit“, die Geschichtswissenschaft und das  
Geschichtsbewusstsein..... 101

REIMUND HAAS

Von der „Kölner Presbyteriologie“ zur „weltkirchlichen  
Kardinalogie“ ..... 135

HELMUT MOLL

Die Heilende Kraft des Wassers. Dr. Friedrich Joseph Haass  
(1780-1853) aus Bad Münstereifel als Forscher und Entdecker  
der Heilquellen im Kaukasus..... 155

ROSEMARIE NÜRNBERG

Hört ihr nicht alle diese Predigt? Wie viele aber werden unbelehrt  
von hier weggehen!“ Ep.Jo.Tr. 3,13  
„Fußnoten zu Augustinus“, dem Prediger, und seiner Lehre vom  
Magister Interior ..... 169

JOACHIM OEPEN

Ein „wairhaffter, clarer und wolbegrunter Bericht“ von 1587  
Der Düsseler Pfarrer Johann von Dornen ..... 199

NORBERT TRIPPEN

Die Wahl des Bischofs von Münster Joseph Höffner zum Koadjutor  
des Erzbischofs von Köln 1968 ..... 219

THOMAS A. WEITZ

De urbe egressus est – Der Rücktritt des Papstes bei Gilles  
Bellemère..... 231

## SYSTEMATISCH-PRAKTISCHE PERSPEKTIVEN

MARKUS HOFMANN

Berufungen zum priesterlichen Dienst: Geschenke für die Kirche und  
für die ganze Welt..... 265

MICHAEL KAHLE

Zwischen dem Tabernakel und dem Altar der Eucharistiefeier  
bestehen keine Anzeichen eines Konflikts ..... 279

DOMINIK MEIERING

Sacerdotis Christi os mens manusque concordent.  
Vom Predigen und vom Prediger ..... 303

## KANONISTISCHE PERSPEKTIVEN

PAOLO BIANCHI

La formazione del personale del tribunale: un'importante  
occupazione di un canonista utile ..... 321

RAYMOND LEO BURKE

The Faith Necessary for the Valid Marriage Consent of the  
Baptized ..... 335

PETER FABRITZ

Der Nuntius und sein Verständnis bei Papst Franziskus..... 353

KARL-BRUNO FRITZEN

Contrahentes saltem non ignorent...“ (can. 1096 CIC/1983)  
Anmerkungen zu einem selten angewandten Klagegrund ..... 365

CÄCILIA GIEBERMANN

Internet Gaming Disorder:  
Ansätze zur Diagnose im Ehenichtigkeitsverfahren ..... 377

ELFRIEDE GLAUBITZ

Vereinbarkeit des Ehesakraments mit den Evangelischen Räten  
Kirchenrechtliche Herausforderungen der neuen geistlichen  
Gemeinschaften und kirchlichen Bewegungen am Beispiel der  
Berufung der Verheirateten Fokolare ..... 391

MARKUS GRAULICH

„Sacerdotes Eucharistiam concelebrare possunt...“  
Kirchenrechtliche Erwägungen zu einer praktischen Fragestellung ..... 407

JUDITH HAHN

Richteramt – Wahrheitsdienst. Epistemologische und rechtstheo-  
logische Anmerkungen zu einer spannungsreichen Verbindung ..... 423

HERIBERT HALLERMANN

Obligatio orta ex ipso ministerio.  
Das Strafrecht als ordentliches Instrument des Hirtendienstes ..... 449

JAN HENDRIKS

Obsorge des Bischofs über Klöster diözesanen Rechts und rechtlich  
selbstständige Klöster, die keinen Nachwuchs haben..... 471

RUDOLF HENSELER Vom institutum iuris dioecesani zum institutum iuris pontificii. Die 12 Erfordernisse .....	481
THOMAS MECKEL Rechtliche Neuerungen für die Rota Romana seit Pastor Bonus über Quaerit semper bis Mitis Iudex.....	491
IOANNES PAULUS MONTINI Utrum plus proficiat Ecclesiae canonista quam theologus. Disputata quaestio semperviva .....	511
CHRISTOPH OHLY Die Ehevorbereitung Anmerkungen im Anschluss an „Amoris Laetitia“ .....	525
TORBJØRN OLSEN Der Begriff „portio Populi Dei“ und dessen Übersetzung in moderne Sprachen .....	545
MATTHIAS PULTE Bischofsernennungen in Deutschland – Wahl Auswahl oder Diktat? .....	567
STEFAN RAMBACHER Kirchliche Ehejudikatur: ein Auslaufmodell oder integrierendes Moment einer Pastoral für Geschiedene? Versuch einer Standortbestimmung nach „Amoris Laetitia“ .....	585
GEORG SCHMIDT Das Ordensrecht und die Wiederherstellung der Gesellschaft Jesu.....	601
ANTONIA SONDERMANN Veritatem eruere – Hilfestellungen zur Wahrheitsfindung aus der Kommunikationspsychologie für die richterliche Praxis.....	609
GERO P. WEISHAUPT Das Rotaurteil coram Pinto vom 22. April 1974 Eine Interpretation für c. 1678 § 1 des Motu Proprio Mitis Iudex Dominus Iesus (c. 1679 CIC/1983)? .....	639

## STAATSKIRCHENRECHTLICHE PERSPEKTIVEN

MANFRED BALDUS / STEFAN MUCKEL

Das Kanonische Recht im Lehr- und Forschungsprogramm einer  
Juristischen Fakultät ..... 683

GEORG MAY

Ehrenschatz katholischer Christen in der Bundesrepublik  
Deutschland ..... 703

DANIELA SCHRADER

Gender und Gender Mainstreaming – (k)ein Thema in der  
Rechtsprechung deutscher Gerichte? ..... 731

## WELTKIRCHLICHE AUSBLICKE

GÜNTER RIBE

Verstreut über die ganze Erde  
Gedanken zu einer weltweiten Diasporakirche ..... 747

## ANHANG

Autorenverzeichnis ..... 757

Tabula gratulatoria ..... 763

# Ioannes Paulus Montini

## UTRUM PLUS PROFICIAT ECCLESIAE CANONISTA QUAM THEOLOGUS. DISPUTATA QUAESTIO SEMPERVIVA

*«[...] habe ich da schon ein wenig Bauchschmerzen,  
wenn [die Bischöfe] nun persönlich und unmittelbar  
in die Nichtigkeitsverfahren eingreifen sollen»<sup>1</sup>*

Gunthero, Reverendissimo Clarissimoque Officiali Metropolitanus Coloniensi, sexagesimo quinto aetatis suae expleto, Ioannes Paulus, qui sibi amicitiae nomen arrogare praesumit, in iure canonico apud Almam Matrem olim contiro, salutem dicit, in eo qui unus omnium Salus est.

Multa multi investigarunt de Episcopo, qualiter ipse esse debeat, coram Ecclesia cuiusque temporis et loci, multaque plus de re ediderunt<sup>2</sup>.

Nos autem, competentiae nostrae simul ac tuae curiositatis plene conscii, nostro communi agro contenti, sacrorum nempe legendorum canonum, de quonam utili munere fungatur Episcopus iuris canonici peritus paululum hic disceptare praesumimus.

Quaestio utrum magis sit utilis Ecclesiae canonista quam theologus – hoc est lemma sub quo nostrum certamen cognitum est – solvi potest tantum si suum materiae locum recte invenitur, ita ut non agatur de opinionibus subiectivis, sed de re deque mente Ecclesiae. Quod cum locum non unum sit, nostro in articulo tria capita seligere maluimus: primum ad requisita

---

<sup>1</sup> «Rechnen Sie damit, dass Bischöfe von ihren neuen Möglichkeit Gebrauch machen?: ‘Ich bin mal gespannt, wie sie da anbeißen werden. Zwar sind sie von Amts wegen die ersten Richter ihrer Diözese. Aber die wenigsten von ihnen sind ausgebildete Kirchenrechtler. Bei allem Respekt vor dem Bischofsamt und seinen Trägern habe ich da schon ein wenig Bauchschmerzen, wenn sie nun persönlich und unmittelbar in die Nichtigkeitsverfahren eingreifen sollen’» (Interview der Katholischen Nachrichten-Agentur (KNA) in Köln. Kölner Kirchenrichter Assenmacher zum verkürzten Eheverfahren, von Andreas Otto, 9.9.2015, in <http://www.katholisch.de/aktuelles/aktuelle-artikel/keine-annullierung-light>).

<sup>2</sup> Cf., exempli causa, F. Staab, Rudi populo rudis adhuc presul. Zu den wehrhaften Bischöfen der Zeit Karl Martells: Karl Martell in seiner Zeit, Sigmaringen 1994, 249-275; Sebastiani, Giuseppe Maria, De consolatione ad Episcopos, sub analogia episcopatus et martyrii, Senis 1875 [Augustae Taurinorum 1937].  
Nuperrime autem, Franciscus, Pastori in ascolto del popolo: OR (20 settembre 2013), 8; Battlogg, Andreas R., Welche Bischöfe braucht es heute?: StZ 140 (2015), 289-290; Fares, Diego, La figura del Vescovo in Papa Francesco: CivCatt 166/II (2015), 433-449, lingua germanica, Hirten, nicht Herrscher. Papst Franziskus über die Gestalt des Bischofs: StZ 140 (2015), 507-521; Id., Il profumo del pastore. Il vescovo nella visione di Papa Francesco, Roma 2015.

candidatorum ad episcopatum attinet<sup>3</sup>; secundum ad quaestionem quodlibetalem olim disputatam, quaedam ad modum apium in floribus sugens; tertium ad nuperrimum ius a Summo Pontifice promulgatum, de iudicio scilicet super nullitatem matrimonii Episcopo reservato.

## 1. Requisita canonica candidatorum ad episcopatum ex praescriptis Codicis iuris canonici

Praescriptum can. 378, § 1, n. 5 de requisitis cavet eorum, qui ad episcopatum evehuntur:

«Ad idoneitatem candidatorum episcopatus requiritur ut quis sit [...] laurea doctoris vel saltem licentia in sacra Scriptura, theologia aut iure canonico potitus in instituto studiorum superiorum a Sede Apostolica probato, vel saltem in iisdem disciplinis vere peritus»<sup>4</sup>.

Scientia, quae ad episcopatum assumendum requiritur, circumscribitur disciplinis determinatis: non enim quaelibet scientia et experientia sufficiunt, quodam vero in campo Episcopus peritus esse debet. Non omnia scire ipse debet, sed quoddam nescire nequit.

De quibusnam disciplinis agitur? Iure quo utimur tres disciplinae praescribuntur, rectius una saltem ex his tribus.

In primis mentio habetur sacrae Scripturae, quae profecto deerat in praescripto can. 331, § 1, n. 5 Codicis anno 1917 promulgati. Honor hoc modo redditur in Codice doctrinae seu tempore Concilii Vaticani Secundi, uti aiunt. Nam sacra Scriptura uti disciplina theologica a sacra theologia disiungitur ex honore quem verbo Dei Concilium reddidit. Neminem tamen latet primo et principaliter praescriptum can. 378, § 1, n. 5 de titulis academicis agere atque vere proprieque lauream vel licentiam in sacra Scriptura apud Institutum Biblicum<sup>5</sup> vel Pontificiam Commissionem Biblicam<sup>6</sup> Romae obtineri posse,

<sup>3</sup> Cf., exempli gratia, Trevisan, Gianni, Le buone qualità del candidato all'episcopato»: QDE 12 (1999), 58-69.

<sup>4</sup> Processus verbales Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo parvi auxilii sunt in interpretatione canonis, quia textus propositus in sessione IV, conventus diebus 4-7 martii 1968 habiti (cf. CCCIC 18 [1986], 123) fere idem permansit usque ad praescriptum can. 378 et fere nullis animadversionibus ornatus (cf. ibid., 18 [1986], 159-160; 12 [1980], 290-291; 14 [1982], 205).

<sup>5</sup> Cf. Ioannes Paulus II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de Studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, 29 aprilis 1979, art. 85: Acta Apostolicae Sedis 71 (1979), 497.

<sup>6</sup> Cf. Ioannes Paulus II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* (nota 5), art. 6, p. 479: «salvo peculiari iure Pontificiae Commissionis Biblicae», de quo Paulus VI, Litterae



quia ceterum agatur de laurea vel licentia in theologia biblica, vel in theologia cum specializatione biblica.

Secundo loco ponitur theologia, non iam «sacra theologia», uti requirebatur, item priore loco, iuxta Codicem Pio-Benedictinum. Cecidit adiectivum «sacra»<sup>7</sup> sive quia iam nunc theologia separatur a sacra Scriptura (uti supra agnoscere cogimur) sive quia disciplina theologica partitur variis disciplinis, omnes quae sibi seligerunt nomen «theologia»: est theologia moralis, theologia liturgica, theologia pastoralis, theologia oecumenica et ita porro. Hoc modo ipsissima theologia novum sibi debuit adiectivum asciscere, «dogmatica» nempe. Unde character «sacrum», seu ad Deum versum, deperditum est. De quanam theologia agatur in praescripto canonis 378, § 1, n 5 satis patet: agitur re vera de theologia, cuius titulus academicus canonicus acquiritur in Facultate sacrae theologiae<sup>8</sup>.

Tertio loco annumeratur ius canonicum, quod in Codice Pio-Benedictino eodem nomine iacebat eodemque loco, id est post sacram theologiam modo disiunctivo cum eadem disciplina coniunctum: Episcopus saltem sacra theologia (sacra Scriptura et theologia) *aut* iure canonico doctus esse debet, sive gradu academico sive vera peritia in iisdem exornatus.

Index disciplinarum, quarum Episcopus scientia praeditus esse debet, absolvitur. Episcopus qui, exempli gratia, in historia ecclesiastica academico titulo polleat at illo in theologia aut iure canonico careat, inidoneus habendus est, ad normam canonis de quo.

Scientia candidatorum ad episcopatum probata esse debet titulo academico (sive doctoratus sive licentiae), qui obtentus est in instituto studiorum superiorum a Sede Apostolica approbato (cf. can. 817), sin minus ex vera eorumdem peritia.

Bene adnotandum est peritiam de qua requisitam esse «in iisdem disciplinis», non autem «in disciplinis theologis», uti asseritur in quodam ceterum nobili Codicis commentario<sup>9</sup>: vera autem peritia de qua circumscribitur sacra Scriptura, theologia et<sup>10</sup> iure canonico.

---

apostolicae motu proprio datae, *Sedula cura*, 27 iunii 1971: Acta Apostolicae Sedis 63 (1971), 665-669, necnon Pontificia Commissio Biblica, Ratio periclitandae doctrinae, 7 decembris 1974: *ibid.*, 67 (1975), 153-158.

<sup>7</sup> Cuius adiectivi omissio absque animadversione manet in processibus verbalibus Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo.

<sup>8</sup> Cf. ad rem titulus I (De Facultate Sacrae Theologiae) partis alterius (Normae speciales) Constitutionis apostolicae *Sapientia christiana* (nota 5), 491-494.

<sup>9</sup> «[...] mantenendo tuttavia l'annotazione che il candidato sia "almeno veramente esperto" nelle materie teologiche» (Sarzi Sartori, Giangiacomo, can. 378: Codice di diritto canonico commentato, a cura della Redazione di Quaderni di Diritto Ecclesiale, Milano<sup>3</sup> 2009, 369).

Consulto «et» scripsi: verbalis canonis tenor requirere videtur veram peritiam «in iisdem disciplinis»; titulus academicus canonicus requiritur saltem in una ex disciplinis disiunctive supra nominatis («aut»), vera autem peritia in iisdem «omnibus tribus» disciplinis requiritur, secus textus praecavisset: «in una ex iis disciplinis». Omnis proinde Episcopus, ad normam can. 378, § 1, n. 5, vere peritus esse deberet iuris canonici.

De quorum requisitorum gravitate disserendum, quin obiectioni acquiescatur, iuxta quam non ageretur in casu de condicionibus iure debitibus, sed potius de optatis quibusdam. Nequaquam, tribus quidem ex rationibus.

Primo ex can. 149, § 2 praescripto: «Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est, si qualitates iure universali vel particulari aut lege foundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur, secus valida est, sed rescindi potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi». Quod praescriptum aequè ad episcopatum applicatur, quod et officium indeclinabiliter est. Nec vis minuitur ex eo quod «iudicium definitivum de promovendi idoneitate ad Apostolicam Sedem pertinet» (can. 378, § 2), si mens afficitur fidei Sedi Apostolicae agnoscendae, utpote magistrae et speculo iuris.

Secundo ex eo quod si electio Episcopi semper est causa maior, quae ad Summum Pontificem pertinet, passim datur occasio participationis huius electionis. Neminem latet passim ius praesentationis vel electionis agnosci ad episcopatum, pro quibus dein institutio vel confirmatio Superiori Auctoritati competit, quae de candidati idoneitate investigationem instituere debet, in casu, de requisitis<sup>11</sup>.

Tertio oblivioni tradendum non est processum quemdam haberi quo candidati inter coetus et gremia Episcoporum dioecesanorum seliguntur, Sanctae Sedi dein praesentandi. Quem processum semper Sancta Sedes normis ornavit, etiam quoad criteria huius primae selectionis<sup>12</sup>. Normis specialibus ad rem deficientibus, personae, gremia et coetus Episcoporum huic selectioni destinata (cf. cann. 377, §§ 2-3; 364, n. 4) prae oculis habere debent criteria quae ex Codice hauriuntur, ac in specie praescriptum can. 378, § 2. Episcopi candidatos proponere possunt titulum academicorum vel scientiae de quibus in can. 378, § 1 expertes, at si hoc faciunt, Sanctam Sedem de re

<sup>11</sup> «Etiam electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere» (can. 331, § 2 Codicis anno 1917 promulgati).

<sup>12</sup> Cf., exempli causa, S. Congregatio Consistorialis, Decretum circa proponendos ad episcopale ministerium in Canadensi dominio et Terrae Novae insulis, 19 martii 1919: Acta Apostolicae Sedis 11 (1919), 124-129 (n. 14, p. 128: «sanissima et non communi doctrina exornati»); Decretum circa proponendos ad episcopale ministerium in Scotia, 20 novembris 1920: ibid., 13 (1921), 13-16 (n. 13, p. 15: «sanissima et non communi doctrina exornati»); Decretum circa proponendos ad episcopale ministerium in Brasilia, 19 martii 1921: ibid., 13 (1921), 222-225 (n. 14, p. 224: «sanissima et non communi doctrina exornati»).

Cf. Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis, Normae de promovendis ad episcopale ministerium in Ecclesia latina, 25 martii 1972: Acta Apostolicae Sedis 64 (1972), 387-391: «Sic autem examinandi sunt candidati ut discernatur an polleant dotibus quibus necesse est adornetur bonus pastor animarum et doctor Fidei: [...] an dogmaticam et moralem theologiam ac ius canonicum penitus calleant» (art. 6); particulae coniunctionis (et/ac) clare significant hic haberi contextum dissimilem ac illum Codicis Iuris Canonici: hic agitur praesertim de titulo academico, illic de scientia. Ratio huius animadversionis paulo infra habetur, cum et attendi debere etiam advertatur «studiorum curriculum» (ibid.).

animadvertere debent atque rationem vel rationes illius candidati veluti postulationis reddere.

Clavis autem quaedam interpretationis praescripti can. 378, § 1, n. 5 perspicitur in can. 478, § 1: enumerantur hic requisita ad vicarium generalem faciendum vel vicarios episcopales; hi esse debet «in iure canonico aut theologia doctores vel licentiati vel saltem in iisdem vere periti». Qui in eadem sede Episcopi sedent, quippe qui “alter ego” Episcopi pleno iure habeantur, in iure canonico *primum* dicuntur doctores vel licentiati esse debere, aut – altero loco – in theologia, absque sacrae Scripturae mentione ulla. In can. 367, § 1 Codicis Pio-Benedictini utriusque disciplinae titulus academicus nuncupabatur: «in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus»: veluti in speculo quae primo requiruntur in Episcopo ex requisitis eiusdem principalium adiutorum eruuntur. Vel saltem quaedam commutatio adest: esto, Episcopus in theologia doctor, at Vicarius generalis in iure canonico, et vicissim.

## 2. Requisita canonica candidatorum ad episcopatum ex traditione quodlibetalium

Quae quaestio<sup>13</sup> passim disputata<sup>14</sup> est, et quidem sub variis formulis, inter quas sequentes ordine chronologico dispositas nominare mihi liceat: «Utrum theologia sit prae ceteris scientiis necessaria praelatis Ecclesiae» (Iohannes Pechamus, 1269)<sup>15</sup>; «Utrum per unum bonum iuristam melius posset regi Ecclesia quam per theologum» (Godefridus de Fontibus, 1293)<sup>16</sup>; «Utrum melius regatur Ecclesia per bonum iuristam, quam per bonum theologum»

<sup>13</sup> Cf. Grabmann, Martin, Die Erörterung der Frage, ob die Kirche besser durch einen guten Juristen oder durch einen Theologen regiert werde, bei Gottfried von Fontaines (+ nach 1306) und Augustinus Triumphus von Ancona (+ 1328): Festschrift Eduard Eichmann zum 70. Geburtstag, hg. V. M. Grabmann – K. Hoffmann, Paderborn 1940, 1-19; Maccarrone, Michele, Teologia e diritto canonico nella *Monarchia*, III, 3: RSCI 5 (1951), 7-42 vel in Id., *Romana Ecclesiae Cathedra Petri*, II, Roma 1991, 1019-1062; Stickler, Alfons Maria, Teologia e diritto canonico nella storia: *Teologia e diritto canonico*, Città del Vaticano 1987, 20-26.

<sup>14</sup> De quodlibetalium disputationibus cf., exempli gratia, Glorieux, Palémon, Le Quodlibet et ses procédés rédactionnels: DT 41 (1938), 61-93; nuperrime autem, Weijers, Olga, In search of the truth. A history of disputation techniques from antiquity to early modern times, Turnhout 2013, praesertim pp. 171-175.

<sup>15</sup> Cf. textus in Leclercq, Jean, *Le Magistère du Prédicateur aux XIII<sup>e</sup> siècle*: AHDL (1946), 139-141.

<sup>16</sup> Quodlibetum decimum, quaestio XVIII. Cf. editio critica: *Le huitième... le neuvième... le dixième Quodlibet de Godefrid de Fontaines (texte inédit)*, cura et studio Jean Hoffmans, Louvain 1924, 395-398.

(Bernardus de Alvernia, 1298-1304)<sup>17</sup>; «Utrum iurista vel theologus plus proficiat ad regimen Ecclesiae» (Franciscus Caracciolo, circa 1314)<sup>18</sup>; «Utrum teneatur collegium cardinalium magis eligere iuristam quam theologum» (Augustinus Triumphus, 1326)<sup>19</sup>; «Utrum dignus magistrari in theologia teneatur scire ius canonicum» (Augustinus Trimpfus, 1326)<sup>20</sup>.

Oculos convertimus ad quaestionem disputatam Godefridi de Fontibus, quippe qui quaestionem ex professo primus aggressus sit, quem ceteri plus minusve inde sequentur. Iter disputationis tres partes complectitur: *sic*, *contra* et *responsio*.

*Sic*. «Per illum melius regitur Ecclesia, per quem melius possunt defendi et tueri iura et libertates Ecclesiae».

*Contra*. «Si ita esset, tunc cum episcopus debet ordinari vel consecrari, potius inquireretur ab episcopo: scis tu iura civilia et canonica? Quam: scis tu vetus et novum testamentum?»

*Responsio*. Tripliciter – ait Godefridus – vox «Ecclesia» accipi potest.

Primo uti domus materialis «scilicet templum lapideum et ligneum, in quo principaliter Deus extrinsecus colitur corporaliter». Hoc in casu nec theologus nec iurista bene «per se et principaliter» Ecclesiam regeret, sed bonus artifex mechanicus, uti latomus vel carpentarius.

Secundo uti bona exteriora temporalia, «scilicet redditus et possessiones [...] quibus ministri Ecclesiae corporaliter sustentantur». Hoc pariter in casu nec theologus nec iurista bene Ecclesiam regeret, sed quilibet habens «prudentiam per quam sciat providere de his quia talia sciunt facere et quod per illos haec disponantur».

Tertio uti domus spiritualis, «scilicet fideles in quibus Deus colitur spiritualiter per virtutes theologicas, scilicet per fidem, spem et caritatem, qui corporaliter colunt Deum in Ecclesia praedicta materiali». Ad hoc «incomparabiliter plus valet theologus quam iurista». Ad bonum talis Ecclesiae pertinent «instructio in fide et moribus per praedicationem veritatis in fide et exhortationem in moribus [...] administratio sacramentorum, poenitentiae scilicet et aliorum, quorum condicionem noscere habent theologii, quia sacramenta sunt propria materia theologiae et quomodo sit eius utendum quod ad salutem ordinantur».

<sup>17</sup> Quodlibetum sextum, quaestio XIX. Cf. editio critica in Stella, Prospero Tommaso, *Teologi e teologia nelle "reprobationes" di Bernardo d'Auvergne ai Quodlibeti di Goffredo di Fontaines*: SAL 19 (1957), 202-205.

<sup>18</sup> Cf. editio critica in Long, Raymond James, "Utrum iurista vel theologus plus proficiat ad regimen ecclesie". A Quaestio Disputata of Francis Caraccioli. Edition and Study: MS 30 (1968), 152-158. De auctore, Cancellario Universitatis Parisiensis, vide P. Glorieux, François Caracciolo chancelier de l'Université de Paris: RThAM 33 (1966), 115-136; Couternay, William, Francis Caracciolo, the Paris chancellorship, and the authorship of two *Quodlibeta* in Vat. Lat. 932: AHDL 80 (2013), 49-83.

<sup>19</sup> Cf. textus in Long, *Utrum* (nota 18), 158-160.

<sup>20</sup> Cf. textus in Long, *Utrum* (nota 18), 160-162.

Conclusio quaedam etiam habetur. Non adest revera responsio explicita ad obiectiones («Per praedicta patet responsio ad obiecta»), sed Godefridus auctoritatem Bernardi Claravallensis invocat, sectionem Epistulae ad Corinthios refert, apostolos excellentes theologos non iuristas appellat, historiam commemorat sive ex argumento positivo sive praesertim ex argumento negativo, quod finefinaliter verbis acerbissimis enuntiat: «Quae autem et quanta bona eveniant in Ecclesia cum a iuristis reguntur satis patet»<sup>21</sup>.

## 2.1 Occasiones disputationis

Non multi faciendae sunt occasiones quae ortum dederunt disputationi et responsioni; nam argumenta reapse allata ad quaestionem solvenda per se ponderanda sunt et latius patent ac occasiones, quarum tamen cognitionem facta historica quodammodo clarescunt.

Tres saltem occasiones inveniri possunt: prima academica, secunda autem circa officia vacantia, tertia denique adversus Episcopum Parisiensem.

Quoad primum prae oculis, vel rectius in auribus, Godefridus habebat durissima verba, quae Cardinalis Benedictus Caietanus (dein papa Bonifacius VIII) in Universitatis Parisiensis Theologos protulit, occasione Synodi die 11 novembris 1290 Parisiis habitae:

«Vos, magistri Parisienses, stultam fecistis et facitis doctrinam scientiae vestrae, turbantes orbem terrarum, quod nullo modo faceretis, si sciretis statum universalis Ecclesiae. Sedetis in cathedris et putatis, quod vestris rationibus regatur Christus. Nam conscientia plurimorum vestris frivolis rationibus sauciat. Non sic, fratres mei non sic! Sed quia nobis commissus est mundus, cogitare debemus, non quid expediat vobis clericis pro vestro libito, sed quid expediat orbi universo. Et sic in vobis impletur, quod dicitur: “Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt” (Rm 1, 22) [...] Deberetis disputare de quaestionibus utilibus, sed nunc assumitis vobis fabulosa et frivola»<sup>22</sup>.

Quoad secundum, Sede Apostolica vacante ob mortem papae Nicolai V, Godefridus verba illa oblivisci nequivit, quaestionem quidem disputatam proponens ut in officio apostolico conferendo ratio haberetur opinionis oppositae, scilicet de utili electione theologorum ad officia ecclesiastica, haud excluso munere petrino.

<sup>21</sup> Quae acerbissima verba contra se quodammodo dixisse videtur, quippe qui septem post fere annos electus Episcopus Tornacensis electioni renuntiaverit.

<sup>22</sup> Finke, Heinrich, *Aus den Tagen Bonifaz VIII. Funde und Forschungen*, Münster 1902, VI. Quaestio tunc contendendi erat privilegium «datum a domino Martino papa de confessionibus audiendis Praedicatoribus et Minoribus», cui acriter sese opponebant magistri Parisienses (cf. *ibid.*, 15-19).

Quoad tertium. «Utrum Episcopus parisiensis peccet in hoc quod omittit corrigere quosdam articulos a praedecessore suo condemnatos»<sup>23</sup>: per hoc quodlibetale idem Godefridus sese opponit Exc.mo Episcopo Parisiensi Simoni Matifas de Bucy, *legum doctori*, qui nolebat condemnationem quarundam propositionum S. Thomae Aquinatis retractare, confirmans hoc modo Episcopum theologum prae iuristis in regimine Ecclesiae esse<sup>24</sup>.

Finefinaliter quaestio haec disputata nihil aliud esse videtur quam momentum pugnae inter clericos saeculares et fratres mendicantes: illi legiones sunt, Facultates seu Studia iuris plerumque frequentant et ad officia ecclesiastica promoventur; isti vero pauci, Theologiae lectionibus plerumque intersunt atque eorum accessus ad officia rarus manet<sup>25</sup>. Et hoc quidem non obstantibus litteris decretalibus *Super speculam*, quibus Honorius III papa anno 1219 firmiter interdixit et districtius inhibuit «ne Parisiis vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire ius civile praesum[ere]t»<sup>26</sup>.

## 2.2 Doctrina de Ecclesia seu Ecclesiologia –uti aiunt– in nuce

Quaestio disputata de qua constituit veluti primum conamen proprie theologicum definiendi et considerandi Ecclesiam, seu aliis verbis quaestio illa theologiae Ecclesiae, seu uti hodie aiunt, Ecclesiologiae, ortum dedit<sup>27</sup>.

Omnibus liquet iam lites inter Imperium et Ecclesiam quandam –uti aiunt– Ecclesiologiam revera enucleare coëgisse, at notio Ecclesiae inde profluens

<sup>23</sup> Quodlibet duodecimum, quaestio V. Cf. editio critica: Les Quodlibets onze-quatorze de Godefroid de Fontaines (texte inédit), cura et studio Jean Hoffmans, Louvain 1932, 100-104.

<sup>24</sup> Cf. Grabmann, Die Erörterung (nota 13), 10-14.

<sup>25</sup> «Si studium frequentare contigerit, audiunt in pluribus leges civiles, non theologicas lecturas [...] Florent in Francia iura civilia, sed minus lex divina, quae paucos apud nos habet in saecularibus lectores» (*Collectio de scandalis Ecclesiae* [1273]: Mandonnet, Pierre, Saint Dominique. L'idée, l'homme et l'oeuvre, Paris 1937, 98, n. 49).

<sup>26</sup> C. 28, X, *de privilegiis et excessibus privilegiatorum*, V, 33. Circa causam huius interdictionis disputant Auctores: sunt qui extollunt comma eiusdem constitutionis «ut plenius sacrae paginae insistatur» ac proinde finem studiorum sacrae theologiae provehendorum (cf. Kuttner, Stephan, Papst Honorius III. und das Studium des Zivilrechts: Id., Gratian and the School of Law 1140-1234, London 1983, X); alii autem aliud comma «quia [...] in Francia et nonnullis provinciis laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis canonicis expediri» ac proinde voluntatem ex parte regis Galliae iuris civilis loci provehendi (cf. Ullmann, Walter, Honorius III and the Prohibition of Legal Studies: Id., Law and Jurisdiction in the Middle Ages, London 1988, XIII).

<sup>27</sup> «The thesis I would like to advance is that the question on the governance of the Church [...] deserves recognition as the first work devoted formally and exclusively to a theology of the Church or Ecclesiology» (Long, Raymond James, The question 'Whether the Church could better be ruled by a good canonist than by a theologian' and the origins of Ecclesiology: PPMRC 10 [1985], 105).

necessario exemplum sumpsit ex Imperio contra quod lis habebatur<sup>28</sup>, dum econtra in quaestione nostra disputata notio Ecclesia liberius ac purius efformaretur:

«Sed intelligo per Ecclesiam fidelium multitudinem [...] Ecclesia enim, secundum Hugucionem, convocatio interpretatur quia omnes ad se advocat et est proprie fidelium [...] Convocari autem est magis utentium ratione [...] dicta est nostra Ecclesia, id est convocatio rationabilium et discretorum»<sup>29</sup>.

### 2.3 Cautelae in interpretatione adhibendae

Quaestiones disputatae omnes supra enumeratae – una excepta, de qua infra – in favorem theologorum indeclinabiliter conclusionem ducunt<sup>30</sup>, et quidem fere iisdem argumentis. Cuius conclusionis mirari nequimus, si attente occasiones disputationis supra relatas consideraverimus immo et auctores ipsarum disputationum, id est theologos – quia tantum theologi quaestionem hanc sibi proposuerunt non autem canonistae, quippe qui responsionem sibi favorabilem naturaliter praesumpsissent et necessitatem sibi suadendi ad rem omnino neglegendam duxissent.

Nihilominus perplura habentur testimonia cautelarum ab ipsis theologis adductarum. En tres cautelae maioris momenti in disputationibus illis adductas.

#### 2.3.1 Quod in se et per se officio congruit

Auctores in favorem theologorum concluderunt quia theologia ad Ecclesiam «per se et principaliter» uti convocationem fidelium «officium praelatorum ordinatur», minime obliviscens Ecclesiam alios quoque respectus contingere.

#### 2.3.2 Per alios

Ad quos respectus quod attinet pares dicuntur iurista et theologus, immo passim canonista theologo praevalere dicitur.

<sup>28</sup> Cf., exempli gratia, Maffei, Angelo, Intrecci tra teologia e diritto canonico nella storia della Chiesa moderna: Hum(B) 64 (2009), 926-936.

<sup>29</sup> Caracciolo, Franciscus: Long, Utrum (nota 18), 153.

<sup>30</sup> Bernardus quoque de Alvernia, qui sibi proposuit adversus Godefridum de Fontibus dimicare, re vera suam reprobationem inchoavit concedendo conclusionem, quam idem Godefridus tenuit in favorem theologorum, probabiliorem videri, etiamsi postea argumenta quae eandem plane minuunt innumera enuntiavit.

Quoad Ecclesiam uti domum materialem et bona patrimonialia praelatus «debet habere industriam et prudentiam ut, cum opus est, per eos qui in talibus sunt periti, quae ad Ecclesiam illam in talibus pertinent, disponantur».

Et ita «contra impugnantes et iniurias Ecclesiae in dictis suis bonis inferentes et per violentiam potentiae saecularis Ecclesiam opprimendo [...] nec circa haec aliter debet vel potest se habere theologus quam iurista»: remedia invenire est veluti res eorum communis.

Econtra adversus «impugnantes et iniurias Ecclesiae in dictis suis bonis inferentes [...] per astutiam scientiae saecularis [Ecclesiam] fatigando», «verum est quod melius valet iurista quam theologus [...] Quia etiam aliquando subditi Praelatorum inter se habent lites in quibus etiam oportet quod via iuris procedatur, quas oportet auctoritate Praelati terminari, quantum ad hoc etiam plus valet iurista quam theologus». At Godefridus non tam facile concedit; nam asserit hoc quoque in casu «sufficit, sicut dictum est in aliis, quod [Praelati] habeant industriam [...] scilicet ut in causis litigiosis auctoritate sua terminandis habeant bonum officialem, et in aliis, cum opus fuerit, habeant bonos advocatos».

Ad rem iam Iohannes Pechamus addiderat: «Unde periculosius ignorat pastor Ecclesiae officium praedicatoris quo virtutes docentur, vitia damnantur et haereses destruuntur quam officium iudicis, quod magis potest Praelatus per alios exercere, cum per se habeat praedicare»<sup>31</sup>.

### 2.3.3 De utraque competentia

At idem Godefridus ulterius procedit et tanquam vir rectus, necessitatem plane agnoscit definiendi quis sit iurista et quis sit theologus. Scit enim quod non datur theologus qui canones, et iurista qui Sacram Scripturam omnino ignoret. Ipsemet ad proprie distinguendum procedit: «bonus iurista dicatur qui perfectus est in iure quantum possibile est sine eis quae per se ad theologiam pertinent, theologus vero bonus qui perfectus est in theologia quantum possibile est sine eis quae per se ad scientiam iuris pertinent». Ipse plane admittit quemque in utraque disciplina perfectum esse posse<sup>32</sup> et hunc «melius valeret quam quilibet seorsum»; addit vero adhuc in cauda venenum: magis tamen valeret ratione theologiae quam iuris.

<sup>31</sup> Caracciolo, Franciscus: Long, Utrum (nota 18), 140.

<sup>32</sup> Vide ad rem applicationem in quodlibetali duodecimo, quaestione V: «Cum ergo quaeritur, utrum Episcopus peccet, et cetera, dicendum quod, licet Dominus Episcopus Parisiensis sit homo eminentis literaturae in iure canonico et civile, et etiam sufficientis in theologica facultate, quia tamen in ista non tantum studuit, quin ad correctionem dictorum articulorum indigeret consilio magistrorum qui in dictis articulis non sunt bene concordēs, a correctione illorum potest aliquantulum excusari» (Les Quodlibets [nota 20], 103). Respectiva reprobatio Bernardi de Alvernia in quodlibetali octavo, quaestione quinta: Stella, Teologi (nota 17), 206-207.



Longe plus Ioannes Pechamus, qui ad obiectiones respondendo, plura docet de necessitudinibus inter ius canonicum et theologiam: «Concedendum ergo quod theologia prae caeteris scientiis est necessaria praelatis Ecclesiae, cuius theologiae regulis immediate inhaerent sacri canones ex istis totaliter dependentes [...] In dispensatione autem iustitiae sufficiunt canones cum regulis sacrae paginae [...] sedare discordias hominum invicem magnum bonum est, sed longe maius sedare discordias hominum cum Deo, quod fit per sola sacra eloquia. Discordias etiam hominum nihil melius sedat quam informatio caritatis»<sup>33</sup>.

## 2.4 Adfuit et responsio

Adfuit et quaedam reprobatio in theologos supradictos, a Bernardo de Alvernia composita, cuius argumenta alicuius pretii hic summatim recolare est.

In primis distinguendum est inter iuristam, «qui solum est expertus in iure civili [...] nihil scit in quantum talis de regimine spirituali», et canonistam, qui canones apte scit, immo qui «scit plus quam purus theologus»: nam «in canone determinantur ministrationses sacramentorum, et ipsa sacramenta sufficienter quantum pertinet ad dispensationes eorum magis quam in theologia». Theologus plus scit «de quidditate et natura sacramentorum», canonista autem de dispensatione sacramentorum. Item de moribus: canonistae enim sciunt «officium cuiuslibet quid requirat [...] quod nesciunt theologi». Item de poenis, de iis quae pertinent ad regimen Ecclesiae, necnon de temporalibus, «quae maxime impugnantur hodie, sicut antiquitus spiritualia maxime impugnabantur a tyrannis». Quae temporalia defendere vere per se ad officium praelati non pertinet, sed quantum ad spiritualia, scilicet «ad honorem Ecclesiae et sustentationem clericorum». Item de praedicatione: «Multi canonistae melius praedicant quam multi theologi», quia si ille expertus sacrae Scripturae fuisset, male sciret et leges!

Melius esset si Episcopus omnia simul habuisset, id est quae ad theologum et ad canonistam spectant; quae quidem omnia simul «maxime sunt in canonista».

Historia etiam quidem considerari debet: Apostoli boni theologi esse debuerunt, quia tunc necessarium erat in primis per se praedicare verbum; nostris temporibus multi verbum praedicant (inter quos et parentes) et urgentius est temporalia defendere, per quae praedicatores melius praedicare possunt. Qui temporalia defendunt, vacant spiritualibus. Et hoc licet «simplices qui talia non advertunt iudicent contrarium».

Temporalia defendere significat et bona pauperum defendere, quorum Episcopi sunt dispensatores.

<sup>33</sup> Caracciolo, Franciscus: Long, Utrum (nota 18), 141.

Ex his omnibus «patet quod non oportet quod Episcopi moderni imitentur apostolos circa temporalia quae tunc non erant in Ecclesia [...] Unde Episcopi qui fuissent tunc boni, essent modo nocivi [...] si Episcopi essent ita simplices sicut tunc, ipsi confunderent Ecclesiam».

### 3. Quid novum

Liceat mihi saltum alium hic peragere, adeo ut ad hodiernos dies redire possimus, et speciatim ad recentiore processum nullitatis matrimonii recognitionem a Summo Pontifice instauratam. Qui saltus plane rationabilis censendus est, quia haud semel in Litteris Apostolicis motu proprio nuper datis Romanus Pontifex Episcopis dioecesanis iudicium nullitatis matrimonii specialissimo modo committere videtur.

Num in hoc quoque processu matrimoniali brevior valent quae supra animadvertit Godefridus in quaestione disputata: habet Episcopus bonum Officiale, seu bonum Vicarium generale, bonum canonistam, et bonum Vicarium iudiciale, vi can. 1420, § 4 bonum canonistam?

Si verbis ipsissimis a Summo Pontifice in Litteris Apostolicis adhibitis credere debemus, videtur quod non:

«III. – *Ipsa Episcopus iudex.* – Ut sane Concilii Vaticani II in quodam magni ponderis ambitu documentum ad effectum tandem ducatur, decretum est palam proferri ipsum Episcopum in sua Ecclesia, cuius pastor et caput constituitur, eo ipso esse inter christifideles sibi commissos iudicem. Exoptatur ergo ut in magnis sicut in parvis dioecesibus ipse Episcopus signum offerat *conversionis* ecclesiasticarum structurarum, neque munus iudicarium in re matrimoniali curiae officiis prorsus delegatum relinquat. Idque speciatim valeat in processu breviori, qui ad dirimendos casus manifestioris nullitatis stabilitur.

IV. – [...] Nos tamen non latuit, in quantum discrimen ex breviato iudicio principium indissolubilitatis matrimonialis adduci possit; eum nimirum in finem volumus ipsum Episcopum in tali processu iudicem constitui, qui in fide et disciplina unitati catholicae cum Petro ob suum pastoris munus quam qui maxime cavet.

[...]

Can. 1687 § 1. Actis receptis, Episcopus dioecesanus, collatis consiliis cum instructore et assessore, perpenisique animadversionibus defensoris vinculi et, si quae habeantur, defensionibus partium, si moralem certitudinem de matrimonii nullitate adipiscitur, sententiam ferat. Secus causam ad ordinarium tramitem remittat. [...]

§ 4. Si appellatio mere dilatoria evidenter appareat, Metropolita vel Episcopus de quo in § 3, vel Decanus Rotae Romanae, eam a limine decreto suo reiciat; si autem admissa fuerit, causa ad ordinarium tramitem in altero gradu remittatur<sup>34</sup>.

Est proinde Episcopus Pontifex, Magister *et Iudex*. Nedum Magister, nedum Pontifex, sed *et Iudex*<sup>35</sup>. Qui iustum iudicium pronuntiare debet. Sunt qui urgent ipsummet personaliter iudicium indeclinabiliter ferre debere<sup>36</sup>. Quod iudicium nihil est quam necessaria sollicitudinis pastoralis pars, non quid extrinsecus additum: bonus pastor nequit boni iudicis officium declinare. Et hoc quidem quia iudicium Episcopo reservatum fidem Ecclesiae in sacramentum matrimonii securius tuetur.

Quis adhuc audebit sacrum iudicandi officium utpote per accidens muneri Episcopi coalescere asserere? Sed «homine imperito numquam quidquam iniustius»<sup>37</sup>, ergo.

## 4. Conclusio

Quaestionis propositae enodationem, Reverendissime Gunthere, tandem expectas, at te non latet quid respondendum esse: canonista, canonista quidem plus proficit Ecclesiae.

Qui vero canonista?

Ille profecto de quo Beatus Summus Pontifex Paulus VI die 17 septembris 1973 iis qui Congressui Internationali Iuris Canonici penes Universitatem Catholicam a S. Corde Mediolani interfuerunt dixit:

<sup>34</sup> FRANCISCUS, Litterae Apostolicae motu proprio datae *Mitis Iudex Dominus Iesus*, 15 augusti 2015: Acta Apostolicae Sedis 107 (2015), 959-960; 965.

<sup>35</sup> Ultima vice forte liber editur de potestate Episcopi, quin de iudiciali eiusdem potestate prorsus tractetur, uti nuperrime accidit de libro, qui inscribitur «Zwischen Vollmacht und Ohnmacht. Die Hirten gewalt des Diözesanbischofs und ihre Grenzen», cura S. Demel et Kl. Lüdicke, Freiburg-Basel-Wien 2015. Ex indice quinque tantum canones Libri VII *De processibus* inibi relatos esse constat.

<sup>36</sup> Pluries ad rem consultum, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal respondere noluit (cf. prot. nn. 50934/15 VT et 51003/15 VAR) utrum videlicet necne Episcopus dioecesanus iudicium in processu brevioris delegare possit.

Quam salebrosissimam quaestionem nec nos hic aggredi praesumimus, quin tamen criterium nostro iudicio fundamentale in re indicare omittamus, quod e canonistarum principe desumimus: «Quamvis ordinariam jurisdictionem habentes eam valide delegare possint, *licite* eam delegare nequeunt nisi *ex gravi causa prudenti* eorum arbitrio determinanda; potestas delegandi sane cum onere conjungitur et non ad hoc datur, ut quis malitiose se exoneret» (Michiels, Gommarus, De potestate ordinaria et delegata. Commentarius tituli V libri II Codicis Iuris Canonici. Canones 196-210, Parisiis-Tornaci Romae-Neo Eboraci 1964, 189).

<sup>37</sup> Terentius, Adelphi, actus I, scaena II, v. 18.

«Con l'approfondire la dottrina della Chiesa, e col mettere in rilievo l'aspetto mistico che le è proprio, il Concilio "ha obbligato il Canonista a ricercare più profondamente nella Sacra Scrittura e nella teologia le ragioni della propria dottrina". Dopo il Concilio il diritto canonico non può non essere in relazione sempre più stretta con la teologia e le altre scienze sacre, perché è anch'esso una scienza sacra, e non è certo quella "scienza pratica" che alcuni vorrebbero il cui compito sarebbe solo quello di rivestire di formule giuridiche le conclusioni teologiche e pastorali, ad esso pertinenti. Col Concilio Vaticano II si è definitivamente chiuso il tempo in cui certi Canonisti ricusavano di considerare l'aspetto teologico delle discipline studiate, o delle leggi da essi applicate. Oggi è impossibile compiere studi di Diritto canonico senza una seria formazione teologica. ... Il rapporto intimo tra Diritto canonico e teologia si pone dunque con urgenza»<sup>38</sup>.

Quem novum mentis habitum canonistae post Concilium suum certo fecerunt.

A tua, enim, mente verba a nostro magistro Patre Beyer, S.I., indelebilis memoriae, in Aula Almae Matris pluries declamata, delapsa – certum scio – non sunt. Qui sua studiorum canonicorum exordia ferens, assertionem reportabat Rev.mi Praepositi Generalis Societatis Iesu, Ioannis Baptistae Janssens, qui iuveni ipsi sodali Beyer, exterrefacto ob sibi proposita iuris canonici studia Romae peragenda et acriter obicienti se per haec studia veluti rem fossilem fieri nolle, respondit: «Vedrà Padre che nel Diritto Canonico c'è molta più teologia di quanto non si pensi».

Opto te, Canonista clarissime, semper in Domino bene valere ut Ecclesiae plus plusve proficere valeas.

---

<sup>38</sup> CCCIC 5 (1973), 124.